

**Dissertatio inauguralis medica de sede variolarum non in sola cute ... /
[Friedrich August Lammers].**

Contributors

Lammers, Friedrich August.
Schmidel, Casimir Christoph, 1718-1792.
Universität Erlangen.

Publication/Creation

Erlangae : Litteris Johannis Caroli Tetschneri, [1758]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mkzryjum>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

11

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
SEDE VARIOLARVM
NON IN SOLA CVTE

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE AC SILESIAE
CAET. CAET. DVCE BYRGRAVIO NORICO RELIQA REL.
CIRCVLII FRANCONICI DVCE MILITARI SVPREMO ET TRIVM
LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

EX CONSENSV ILLVSTRIS ET GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

D. CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIDELIO
SERENISS. MARGGR. BRAND. CVLMB. A CONSIL. AVL. MED. ANAT.
ET BOTAN. P. P. O. ACAD. IMPERIAL. NAT. CVR. ET SO-
CIET. BOTAN. FLORENTINAE SODALI.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA ERLANGENSI
PRO DOCTORIS

GRADV PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS RITE CONSEQVENDIS
AD D. XXVII. FEBR. MDCCLVIII.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBICIT
AVCTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS AVGVSTVS LAMMERS
BARVTHO FRANCVS.

ERLANGAE
LITTERIS IOHANNIS CAROLI TETSCHNERI.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
SEDE VARIOLARVM NON
IN SOLA CVTE.

§. I.



Dum de Variolarum sede pauca quaedam
sermocinari instituimus, nemo a no-
bis expectabit absolutam adeo huius
morbi Historiam, vt cuncta in illo obuia
phaenomena singulatim enucleemus, multo minus vt
eorundem prolixas rationes subnectamus. Id etenim

A

nos

2 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

nos aut implicaret difficultatibus, quibus nos in breuitate ea, quam nobis praescripsimus, non facile expediremus, aut tractationem nostram nobis etiam inuitis ultra modum augeret. Nos autem cunctis his facile superfedere posse, eo confidentius speramus, quo certius est, nos de re adeo in vulgus nota loqui, ut nemo fere, quam parum etiam rei Medicae peritus sit, nesciat, quid sub Variolis communiter intelligatur. Neque etiam eorum caussa, qui arti nostrae propius se insinuant, quidquam aliud monendum esse credimus, hoc forte excepto, ut ipsis in memoriam vocemus: esse tempus in ipso Variolarum circuitu, similiter ut in aliis febribus exanthematicis, quo liquida, et cum illis morbi materia vel eius saltem pars ad vasa secretoria, et prout res dat, ad excretoria quoque deponuntur.

§. II.

Depositionem hanc in Variolis quoque, maxima ex parte et communi lege ad Cutim quidem fieri, ibidemque pustulas statim tempore, si cuncta rite procedunt, excitare, frequentissima in aegris hoc morbo decumbentibus

tibus obseruatio docet. Cutim igitur eiusque structuram solam requiri ad productionem pustulae variolosae, istamque priuatiuam aliquam, vt loquuntur, constitutionem ad eiusmodi negotium possidere, non obscura, neque veri specie carens, oriri posset suspicio. Eiusmodi sententiae fauentem deprehendimus Virum quendam, fama et eruditione nostris temporibus celebratissimum, qui ad calcem descriptionis de constitutione variolosa anni 1735. olim publicatae, nouissime autem cum aliis Eiusdem Auctoris recusae id potissimum sustinet, ad pustularum in Variolis formationem duram Epidermidem, adeoque structuram Cutis requiri, neque vltra pharyngem vnquam pustulas procedere, aut ventriculum, aut intestina aliaue viscera occupare. Num igitur hoc ita perpetuum et constans sit, vt nihil in contrarium adferri possit, et an illud adsertum dogmatis vim nancisci debeat, quod frequenter de virorum, auctoritate polloquentium, pronunciatis fieri solet, breuibus et ea, qua decet, animi moderatione et aequitate disquiremus.

§. III.

Antequam autem ad ea deuenimus, quae vel alii de hoc argumento scripta reliquerunt, vel nobis ipsis ex-

4 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

perientia subministravit; necessarium erit, ut de suppuratione generatim quaedam excitemus, deinde de pustularum in Variolis formatione non solum inferamus, sed et dispiciamus, quid praecipue circa haec Cuti peculiare inhaereat. Deprehendimus igitur, quoties in viscere, membro, vel parte alia corporis humani aliquid suppurat, quod ante omnia liquida tunc ibi coeant, in vasis, praesertim arteriosis, magis minusve subsistant, eademque simul obstruant. Hoc semel facto, fluida collecta, cum ex variis inter se mixtis componantur, in pristino statu permanere nequeunt. Quidquid enim rei sit, id tamen satis constat, quod motus progressivus sanguinis decens magnam tueatur partem in conservatione constitutionis, miscelae, et resolutionis naturalis, quam fluida machinae humanae exhibent. Hoc igitur notabiliter impedito aut penitus sublato, nihil undique obstat, quin intrinseca efficacia partium, humores stagnantes facientium, totam actione mutua sese exserat. Ideo quoque non quidem modus agendi naturalis, sed alius omnino ab isto diuersus emergere debet; atque cuncta haec eo maiori fient gradu, quo plures liquida partes efficaces in
mix-

mixtionem receperunt. Haec etiam tunc aliqua fere ex parte subesse videntur, quando in quibusdam congestionibus, in quibus, aut circa quas proxime, adhuc aliquid de motu progressiuo superstes est, aut liquida non valde agilia adsunt, stases feliciter discutiuntur, neque statim vel post longius ferme spatium in suppurationem demum abeunt, prout in morbis inflammatoriis experientia subinde comprobatur. Ad suppurationem itaque veram requirimus, primo loco stasin fluidi, praesertim acris: deinde actionem intrinsecam, seu quod idem est, motum intestinum eiusdem liquidi, a naturali diuersum, et plerumque naturali maiorem: postea Calorem maiorem natiuo et placido isto, qui Corpori pro sua quaque temperie proprius est, non tamen tantum, ut pars, in qua stasis facta est, inde siccescat: tandem humectationem continuam, per vasa minima in locum adfectum constanter deriuatam. Haec si praecedunt et durant, consequitur resolutio maior, et nimia quidem liquidi stagnantis, cui pedisequa dein est destructio non solum fluidorum, stasi comprehensorum, sed et eorum, quae de nouo ad aliquod tempus huc aduehuntur. Non tamen in his

solum subsistit, sed solida quoque, si non semper tamen plerumque, simul corrumpuntur; adeoque tam vasa atque cellulae, in quibus stasis sedem habet, quam ea non raro quae ambiunt, similia patiuntur. Productum cunctorum, quae diximus, Pus vocari solet, quod pro vario qualitatis, loci, aliorumque requisitorum modulo plurimum inter se variare et differre potest.

§. IV.

Dum locuti sumus de Stasi, ista quidem in suppuratione ex vno respectu plerumque tanta copia fieri debet, ut liquidum collectum intra breue vel definitum saltem tempus aliquod, blanda resolutione discuti aut dissipari nequeat. Neque etiam vasa et caua quaelibet ita adfecta, adeo impacta esse debent, ut vel ex ea vel ex quacumque alia concurrente causa penitus et eo gradu superata dici mereantur, ut omnem quasi ex vi vitali et partim quoque physica pendentem actionem perdiderint; quod Gangraenam, praesertim funestam, communiter subsequi solet. Deinde etiam necesse est, ut liquida, quae coiuerunt, acria sint; hinc vel de partibus salinis vel sulphu-

phureis, ita tamen spissis aut viscidis, vt obstruere possint, participant, atque aut ipsi sanguini rubicundo commixta existant, ac cum eodem ad locum staseos transferantur, aut saltem propter istam qualitatem aerem vasa tanto gradu irritare et exstimulare debeant, vt sanguis rubicundus non solum determinata aliqua quantitate adfluere, sed et postea stasin simul augere, ac cum reliquis suppurando destrui possit. Haec igitur distinguunt stases, in suppurationem abeuntes, ab aliis eiusmodi collectionibus serosis, in quibus nihil horum reperitur, quin et hoc respectu, (vt alia, quae in qualitate sita sunt, intacta nunc relinquamus,) exanthema variolosum a reliquis exanthematibus dirimunt, quibus suppuratio proprie non competit. Ideo quoque videmus, partes Corporis humani exsanguines communiter vocatas, seu quod idem est, in quibus sanguis rubicundus secundum naturalem statum haerere non solet, suppurationi tunc demum subiaci, quando qualibet ex causa sanguis rubicundus ad istas deducitur. Serum enim, quatenus est liquidum sui generis, nunquam destructioni eius indolis obnoxium est, ex qua pus emergere solet. Quare exinde patebit, quid

quid sentiendum sit de opinione quorundam adseuerantium, quod pinguedo, aut sola fere aut maxima ex parte, suppurationi ansam dare, et puri materiam suggerere soleat. Quotidiana enim experientia conuinci possumus, viscera et partes Corporis humani, in quibus pinguedo nunquam deprehenditur, pus generare non solum posse, sed et re ipsa generare. Siquidem in Hepate, Pulmonibus, Renum interiori substantia, Oculorum tunicis interioribus, vt et in ipso Cerebro aliisque locis pus subinde formetur, vbi ne granulum vnquam pinguedinis reperiri solet.

§. V.

Dum porro motum intestinum fortiorem, et calorem inde ortum maiorem requisuimus, ideo id fecimus; quia argumentis satis euidetibus, hic tamen fusius non exponendis, probari potest, generatim calorem sanguinis nostri potissimum inde ortum sumere. Sic etiam tam ex doctrinis physiologicis, quam ex supra (§. III.) adductis cognoscitur, per motum eundem intrinsecum, praesertim ope motus progressiui determinatum, non solum caloris

loris natiui gradum definiri, sed et secundum naturam sanguinis rubicundi massam sensim in serum, magis minusue coloratum resolui, et tandem lympham tenuissimam elaborari. Si igitur in suppuratione actio, haec mutua partium sanguinem componentium non esset diuersa, et quidem simul maior naturali, non subesset ratio, cur ex ea non tam serum et lymphæ, sed alia longe emergant. Pari ratione etiam de caloris augmento concludi debet. Si enim calor a motu progressiuo solum deducendus esset, in omnibus stasibus liquidorum, quando fluida in vasis obstructis haerent neque progrediuntur, non quidem caloris augmentum sed potius decrementum, quin et absentia eiusdem deprehenderetur. Cum autem stases inflammatoriae vocatae, et illae quae suppurant, maiori gradu caloris stipentur, illoque communiter sese manifestent; ipse is non nisi ex motu intrinseco aucto proficisci tunc potuit. Interim tamen non omne liquidum stagnans statim calorem excitare poterit maiorem, sed illud solum, quod eiusmodi partes in mixtionem et compositionem intrinsecam admisit, quae calori non solum generatim, sed maiori etiam gradui, quem nunc poscimus,

10 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

excitando aptum est. Salia igitur et praecipue sulphura, utraque acria, fluidis permixta, ante omnia istam possidere efficaciam pluribus modis probari potest. Cum autem sanguis rubicundus eadem potissimum continere et capere soleat; ideo quoque idem sanguis motum intrinsecum et calorem maiorem prae omnibus reliquis corporis humani liquidis, quae in vasis arteriosis minoribus continentur, excitare valet, ut supra (§. IV.) indicaui-
mus. Quemadmodum etiam nunc actio intrinseca tanquam causa caloris introducta est, sic et calor semel excitatus motum intestinum pro suis etiam partibus ulterius sustinet et fouet: siquidem constat, calore quoque externo actionem mutuam et inde deductam resolutionem corporum accelerari; quin et suppurationem ipsam retardari vel turbari, quoties frigus externum diutius admittitur, neque pars laesa bene operitur. Neutiquam tamen omnis promiscue caloris gradus huic negotio satis commodus reputari potest, sed is saltem, qui infra maximum est, cuius producendi corpus humanum capax inuenitur. Hinc qui ita temperatus adhuc est, ut partem, quam stasis occupat, non exsiccet, nec liquidio-

ra breui dissipet; eius autem modus, cuius corpori indiuiduo congruus, numero aliquo a priori, vt dicunt, vix definiri poterit. Veritatem interim horum summus inflammationis & caloris vrentis gradus, quem Gangraena sistere solet, etiam hac ex parte vberius demonstrat.

§. VI.

Nihilo tamen minus cuncta haec, etsi euenirent, atque destructionem in partibus corporis humani omnino efficere possent, puri producendo nondum aptaprehendentur. Siquidem in corpore mortuo videamus, liquida quiescere, stagnare, neque motu progressiuo amplius agitari. Porro animaduertimus, eadem motu intrinseco in se inuicem operari, quin et pro circumstantium rerum conditione incalescere posse. Id vero simul experimur, quod quoduis quidem aliud destructionis signum, nunquam autem pus inde enascatur. Quare humectatio, quam supra (§. III.) inter requisita ad suppurationem posuimus, non omitti, sed adprime necessaria haberi debet. Observatio in morbis inflammatoriis aliquid simile iam ob oculos ponit, demonstrans partes, insigni

12 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

a iqua aut enormi inflammatione tentatas, non semper bene defendi aut curari, si sicco calore aut remediis siccis adplicatis fouentur; non raro autem, prout res permittit aut postulat, humectantibus etiam coniunctis egregie subleuari. Humectatio igitur requiritur, iterum vero non omnis indiscriminatum. Posset aliquis fouere et humectare cadauer vel partes eius vario modo, neque tamen vlllo artificio pus verum producet. Idcirco humectatio ista, quae partibus nostri corporis secundum naturam et non nisi sub robore naturae, per vasa non solum minima, sed et in omnibus fere punctis constantissime contingit, hic potissimum intelligitur. Haec igitur tam in ambientibus circa partem laesam, quam in aliquibus forte vasculis, morbo non penitus comprehensis, in ipso staseos loco ex virium et actionum vitalium residuo (§. IV.) perfici potest, et re ipsa perficitur. Hac quoque fluida sufficienter et continuo diluuntur, efficaciora liberantur quidem, simul autem temperantur, ne pars siccescat atque postea emoriatur, sed potius vt suppuratio iusto modo instruatur. Cuncta haec qui considerat, satis perspiciet, quam ob causam suppuratio eius-
que

que effectus, productum virium vitae et naturae a probatissimis Viris merito nominetur; neque statim ad concursum entis intelligentis, quod longe alias ob causas corpori humano coniunctum est, aut ad instinctus aliquos rationales quis confugiet, quando videt, pus nunquam parari arte, quae humectationem intrinsecam viresque vitae ad hanc pertinentes imitari aut supplere omnino nequit. Haec autem omni modo se ita habere, mox secutura amplius dilucidabunt.

§. VII.

Effectus horum omnium non erit alius, nisi resolutio, quae a naturali in liquidis nostri corporis fiente multum diuersa, et quidem nimia esse debet. Omnis autem iam resolutionis nimiae gradus destructioni aequiparari potest in machina animali, in qua liquida certum et determinatum aliquem compositionis, miscelae, sic et dein attenuationis modum possident, ultra quem salua compage negotium produci nequit. His vero positis expanduntur fluida resoluta, et dum maius spatium occupant, expandunt plerumque, si fieri potest, locum quem de-

structio corrumpit, ita ut in tumorem attollatur; neque vero abfimile videtur, aerem intrinsece in liquidis comprehensum, nunc autem liberatum, partes suas non solum ad tumoris augmentum sed et destructionis continuationem conferre posse. Non autem ea solum, quae primitus stasin effecerunt, et suppurarunt, sed ea etiam, quae ad aliquod tempus nouiter et ex continuata actione vitae aduehuntur. Dici enim nequit cum aliqua veri speeie, cuncta quae ex ulcere, abscessu, aut quocumque loco suppurato prodeunt, in principio ibi haesisse. Non rari videlicet sunt, quin et nos saepius tractauimus abscessus, ad plures septimanas tantam quotidie puris quantitatem reddentes, ut plures libras pondere expleuerit; quae si simul adfuisset, abscessus molem multis numeris superasset. Quam ob rem tamdiu liquida recenter adpellentia simili labe corripuntur, quamdiu aut acria, in suppurata parte primitus praesentia, efficaciam suam propagare possunt: aut adhuc quaedam in corpore supersunt, quae ob relatiuam, ut vocatur, partis debilitatem huc transferuntur, ac destructioni pabulum suggerunt; vel etiam quamdiu parietes ulceris nondum penitus munda-

dati

dati non reddunt blandum istum, plerumque gelatinosum tenuemque, versus labia vero mucosum liquorem tanta copia, ut residua acrium obtundi, et soluta glutinari possint: vel denique quamdiu remedia adplicata idem hoc, quod in proxime priori casu corpus ipsum facit, non absoluunt. Ita quidem interdum solis sibi que relictis viribus naturae ulcera sanantur, non tamen ubique et sponte id evenit; sed potius non raro remedia siue sint externa, siue sint, et quidem praecepue, interna multum cooperantur.

§. VIII.

Quotiescunque haec iusto ordine et modo succedunt, experientia teste enasci solet materia quaedam, ab iis rebus, ex quibus ortum fumsit, manifeste diuersa, et quae Pus communiter vocari consuevit. Hoc igitur, si acria subtilia dissipata, crassiora vero bene subacta, atque terreis, (quarum pars ex ipsis fluidis destructis, pars vero ex solidis comminutis (§. III.) deducitur,) probe inuoluta sunt, adeo ut amplius notabiliter rodere aut destruere nequeant, Pus bonum vel coctum dicitur,

cuius characteres LOMMIUS *) nominat, quod nempe album, aequale, leue, et odoris expers educitur, et vires non infirmas supponit, vt IDEM aliquo loco **) requirit. Quando vero varia materiarum stagnantium miscela varium etiam motum intestinum excitat, vel si idem imperfecte absoluitur, id etiam in pure ipso differentiam notabilem causari debet. Similia euenient, quando vnum alterumue vel plura defunt ex iis, quae antea ad suppurationem requisuimus; praesertim si ex imbecillitate cordis et arteriarum, generatim ex infirmitate virium vitae, punctorum humectatio adeo necessaria non rite procedit. Neque alia ratio erit, si acria tanta quantitate adsunt, vt omnia inuolui et obtundi, vel dissipari nequeant; vel quod peius adhuc est, si per ipsam destructionem acria de nouo generantur, explicantur, et agilia redduntur, quod adeo rarum esse non solet: aut denique si loco humoris glutinosi temperantis serum acre, aut nimis copiosum, in cauum vlceris influit; vel si viscidum idem et crudum parietes obducit, et quae forte plura huc spectantia esse poterunt. Tunc vbicumque

*) Obs. Med. L. II. Ed. Jen. p. 279.

**) Id. ibid. L. II. p. 132.

que pus elaboratur malignum adhuc rosium, aut virulentum, vel saltem ex prauitate consolidationi resistens, cuius varia genera et diuersitates apud Scriptores passim habentur.

§. IX.

Exposuimus nunc adeo succincte, vt potuimus, praecipua, quae de suppuratione notanda veniunt, ad minimum tantum declarauimus, quantum exigit argumentum rei, propter quam huc vsque sermocinati sumus. Nemo autem dubitabit, in Variolis pleraque eo plane modo etiam fieri, cum suppuratio vna cum reliquis ad eam pertinentibus distincte ibi emergere soleat. Nolumus equidem de materia variolosa in tanto Auctorum dissensu *) prolixè disquirere, id tamen vero proximum videtur, de sulphurea acri indole non parum illi inesse: partim propter ea, quae supra (§. V.) indicauimus, partim quia experientia non repugnat, dum Jll. HALLERVS **)

C

pus

*) Amplum Auctorum et opinionum catalogum subministravit Celeberrimus Lipsiensium Professor D. D. LUDWIGVS in Dissert. *De Crisibus Variolarum accessoriis* §. VI. p. 11. et 12. in notis.

*) In Opuscul. Patholog. Obs. XLIV. p. 122.

pus variolarum inflammabile vidit, vt luculentam flammam incensum aleret. Hoc autem veritati quam maxime congruum erit, Variolas benignas in respectu symptomatum et euentus, aut tales, quae distinctae magis sunt, tunc potissimum oriri; si materia in se non valde maligna est, vel valida febre non agitur. Pari ratione, si in rebus sic dictis naturalibus aut non naturalibus non subest caussa, quae malignitatem ac destructionem augere potest; vel denique, si materia ipsa in vasa et puncta cutis suprema, superficiei proximiora deponitur, sedemque sibi figit, quod omnino a faciliiori resolutione ipsius materiae, aut a robore vasorum adhuc magno pendere potest. Quoties vero contraria his accidunt, praesertim materia malignior, vel copiosior, ante omnia vero profundius in Cutim locatur, tunc omnino confluentes atque malignae emergunt. Ideo quoque benignae cunctis recte se habentibus, breuioris decursus sunt, citius exsiccantur, atque cicatrices fere nullas, vel saltim minus profundas interdum relinquere solent; cum malignae neutrum fere horum reddant. Veritatem huius adfert vlcera et pustulae alius generis, in cute enata

enata probant, quae si profundius in strato Cutis proprio, aut in subiecta tunica adiposa et cellulosa orta sunt, et incumbencia ex destructione comminuunt, cicatrices relinquere inueniuntur. Quando autem supra ista nidulantur, etiamsi corpus reticulare simul destruant, cicatrices aut parum conspicuas, aut sensim euanescentes, aut plane nullas exarare solent. Hoc enim reticulum, ut minus proprie dicitur, aequae ac Epidermis, cuius interior pars est, salua reliqua Cutis compage redintegratur, morbo aut casu perditum, prout alio loco exemplis illustrauit D. PRAESES, *) quod autem de aliis corporis humani partibus, praesertim fibrosis aut magis organicis dici nequit.

§. X.

Id autem, quod communi lege Variolarum Sedes in Cute reperiri soleat, utique ratione sua carere non debet. Interim tamen, etiamsi quaelibet strata, ex quibus Cutis conflatur, curatissime considerentur, nullibi aliquid deprehenditur, quod suppurationi adeoque etiam Variolarum productioni, speciatim fauere, aut Cutim prae

C 2

aliis

* Vide Dissertat. De Lepra, sub Eius Praesidio 1750. habitam, passim.

aliis corporis humani partibus peculiari aliquo attributo imbuere possit, ut nullibi nisi in illa et sub Epidermide eadem formentur et efflorescant. Neque enim pinguedo, ut supra (§. IV.) euictum est, generatim aliquid involuit, neque etiam hic loci a reliqua totius corporis ita differre potest, ut aliquid inde inferri debeat. Neque dein vasculorum cutaneorum capacitas, reptatus, vel alia quaevis, aut cellulosa fibrosaue tela culpam speciatim ferent, multo minus nervi, peculiariter structi aut integumenta eorum. Epidermis tandem eleuata hic non plus valebit, ac quaelibet membrana exsanguis aut exsucca, in vesiculam a liquore quolibet, sic etiam a pure, subtus collecto inflata. Continebit enim solum et comprehendet materiam coaceruatam, ne quaquaaversum diffuat. Eam igitur ob rem causa phaenomeni in Cutis structura propria non facile inuenietur.

§. XI.

Si quid autem aliud in medium poni poterit pro solutione, id fere nulla alia in re commodius et maiori cum verisimilitudine, quam in actu secretionis maxime
vni-

uniuersali versus Cutim quaeri debet. Sicuti enim vasa nostri corporis eam etiam ob causam in duobus extremis, principio nempe et fine, peruia et aperta sunt, vt sanguinis circuitus, alias quieturus, decenti modo absoluator; ita etiam non per naturalem solum, sed quemlibet etiam auctum circulum humorum et canalium impetum, liquida prout ad terminos canalium quoslibet, sic et praesertim ob variarum causarum concursum ad extremam cutim propelluntur, et dummodo eum saltem fluxilitatis gradum possident, vt vasis cutaneis sese insinuare possint, aut per ea eliminantur, aut certe in iis subsistant. Ideo maxima non solum secundum naturam est excretio cutanea, sed in plurimis morbis etiam, in quibus aliquid per circulum sanguinis expediri debet, liquida omnium maxime versus Cutim tendunt, vt inter alia febrium et congenerum infirmitatum observatio declarat. Patet igitur, quam ob rem in Variolis maxima ratio adest, cur materia earum, qualiscumque ea sit, aut per totum sanguinem distributa, aut tempore inuasionis saltem ipsi permixta, versus Cutim pari modo ac praecipue dirigatur, et per impetum febris vel una cum

ipso sanguine rubicundo ad strata Cutis protrudatur, ibique stagnet, cum nondum resoluta sit, nec exhalare possit. Hoc semel facto, aut ipsa inflammationis speciem ibidem causabitur, aut certe loca, in quae effusa est, ita irritabit, ut sanguis rubicundus adfluat, eaque subsequantur, quae supra (§. III. ad VIII.) de suppuratione praedicauimus, effectus praestitura pro modulo differentiarum, itidem iam (§. IX.) indicatarum variatos.

§. XII.

His tamen, quae de Cutis aptitudine nunc exposita sunt, non obstantibus, quilibet fere praeuidebit, cum ratio non adeo in solidorum Cutis fabrica quam in fluidorum directione quaerenda sit, alia quoque accidere posse, si quid in hoc requisito alteratur. Sic generalis illa lex, cui fluida pressa obtemperant, in corpore humano quoque obtinet, secundum quam in locum minoris resistentiae ruunt. Ita Diarrhoea suscipit perspirationem aut sudorem interruptum, et auctus intestinorum renisus interdum sudores prouocat, et Diarrhoeam saepe tollit. Pectus aut caput obruit sanguis, quoties

remoram patitur in abdomine aut extremis partibus, et quae plura sunt. Quoties igitur Cutis ex quacumque causa strictior nimis resistit; vel ubi cordis arteriarumque vis non sufficit, ut materia ad cutim omnis propel- latur; vel quando tanta materiae copia est, ut omnis eliminari, aut in Cutim saltem deponi non possit: aut quo- ties viscera quaedam interiora ita in respectu ad alia vel ad Cutim debilia sunt, ut ideo maximus fluidorum im- petus ad ista deducatur: vel in iisdem irritatio aliqua praeter naturam enascitur, vel iam subest; aut denique quaecumque alia in cura aut aegri regimine occurrunt, quae culpam ferre valent: toties omnino ratio in prom- tu est, ut variolae non in sola saltem Cute, sed in aliis quoque quibuscumque partibus, vel in iis visceribus, quae vnum alterumue adductorum momentorum ad- mittunt, simul formari possint.

§. XIII.

Haec igitur ut vera cognoscit et praevidet ratioci- cinium, quae tamen ut infirma nimis adhuc reiicere- mus, si experientia calculum addere recusaret. Hanc equi-

equidem pro se adlegant, qui vt supra (§. II.) expositum est, Epidermidem ad Variolas requiri, e contrario tuentur, illasque extra Cutim et in visceribus oriri negant. Cum itaque experientia optimum quoduis ratiocinium praestet, disquirendum erit, numne eadem quid ex altera parte subministret, quod de Variolarum ortu in variis corporis humani visceribus certiores nos reddere potest. Sic non valde rarum esse solet, vlcera mali moris, tam in mollioribus partibus corporis, quam in ossibus relinqui post Variolas, quorum vix alia manifesta caussa existit nisi residuum de materia variolosa ex merito adcusetur. Quare Cel. MAYCHARTVS *) Vir non nisi cum laude nominandus, nullus dubitat, quin Cancrum, faciei dimidium cum genis et labiis exedentem et lethalem, a Variolis in Maxilla intus obortis deducat. Ipsi aliquando tractauimus abscessum cum carie circa caput humeri eiusque articulum, durante quo portio spinae scapulae abscessit, et alium circa Olecranon, vtrumque a Variolis praegressis residuum, ex quibus aegri difficulter euaserunt. Nolumus autem his longius inhaerere,

*) In Ephemerid. Nat. Curios. Cent. I. et II. Obs. CXXIII. p. 249. sq.

re, ne reliquis argumentis, magis forte ad rem directis, spatium praeripiamus. Facile enim quis regerere posset, nos hac ratione cardinem rei, de qua disceptatur, invertere, atque ea, quae post morbum superueniunt, in locum illorum subornare, quae intra circuitum morbi euenire deberent. Quamuis autem et haec diluere possemus, malumus tamen ad ea properare, quae propius tangunt.

§. XIV.

Exstant proinde de iis, quae adfirmamus, variorum Scriptorum testimonia, fide digna. Ita FERNELIVS *) iam innuit, vt alios praetermittamus, quod obseruatum sit, quosdam ab interitu dissectos fuisse, quibus Iecur, Lien, Pulmones omniaque interiora haud secus atque Cutis, sordidissimis papulis manantibus scaterent. Pariter *Ambr.* PARAEVS **) experientia edoctus, prolixis verbis sustinet, pustulas non modo partes externas deturpare,

*) Lib. II. Cap. 12. De abdītis rerum causis.

**) Oper. Chirurgio. Lib. XIX. C. I. p. n. 559. seq.

turpare, sed etiam in haec vel illa viscera interiora debacchari. Sic et *Roder. A CASTRO* *) pronunciat: Variolas inter morbos cutaneos reponi; quia id, quod in iis manifeste se prodit, est Cutis foedatio: nihilo minus in dissectionibus fere semper viscera reperiri, non secus quam Cutim, his tuberculis conspersa, Lienem, Iecur, Pulmones, Pancreas et reliquas interiores sedes hac labe infectas. Similia fere refert *I. D. HORSTIUS* **) de Comite, Variolis defuncto, in quo dissecto Iecur, Lien, Pulmones et Intestina ut ipsa Cutis sordidissimis papulis manantibus plena reperta fuerunt. *Th. BARTHOLINUS* ***) pariter Sectionem infantis a Variolis denati recensens, Pancreas pustulis quoque plenum memorat, atque alibi ****) Pulmones tota superficie maculis et pustulis insignibus conspersos et Omentum semiputridum ac superiori parte aliquantum consumtum vidit.

*) L. III. Cap. 16.

**) Observat. Anatomic. 9.

***) Hist. Anatomic. rar. cent. IV. Obs. XLIII. p. 325.

****) Epistolar. Cent III. Epist. 29.

vidit. *Theod. KERKRINGIUS* *) vero in puero, huius morbi violentia suffocato, inuenit Pulmones ita vndique Variolis intus et foris plenos, vt nihil prorsus in iis sani conspiceretur. Erant autem, vt inquit, Variolae istae in vigore suo, maturae et pure turgentes, quae etiam flauae cuiusdam aquae tantillum in cavitatem pectoris infuderant etc. Lien non minus quam Pulmo infectus, tumidus et durus : ad Intestina hinc inde tantummodo apparebant vestigia Variolarum quasi gemmis distincta, etc. Superessent plures testes, qui veritatem adserti nostri fulcire possent, Variolas nempe non in sola Cute, sed in aliis quoque visceribus subinde oriri ; nisi persuasum essemus, hos iam abunde probationi suffecturos esse.

§. XV.

Nostris etiam diebus non adeo rarescunt exempla, vt penitus exoleuerint ; offeruntur potius passim adhuc, quae Variolarum eruptionem extra Cutim confirmant.

D 2

Tristis

*) Spicileg. Anatomic. Obseruat. LXI.

Tristis admodum, non plane vero insolita, est experientia in infantibus praesertim, quibus aut ex morbi violentia oculi valde illacrymant, vel qui tam fricando, quam eiulando, oculos nimium laceffunt, pustulas itunc super eosdem quoque oculos pullulare; adeo ut interdum neque Sclerotica, neque Cornea, neque interiora oculi ab hac labe immunia deprehendantur, quas tamen, ad minimum interiores tunicas, nemo facile ad Cutis structuram retulerit. Quod autem neque Intestina, neque Mesenterium, a contagio Varioloso intacta aliquando relinquantur, sequens exemplum ulterius dilucidabit, quod D. PRAESES suppeditavit, et de quo praecipua breuiter exponemus.

§. XVI.

Iuuenis generosus, viginti et aliquot annorum, habitus ficcioris, paullo tamen tenerioris, postquam vere praegresso ex inflammatione laterum et pulmonum graui-
ter aegrotauerat, beneque conualuerat, autumno ver-
gente anni 1745. post epulas aeri humido et frigido no-
cturno

Eturmo intemperantius se commisit, cum liberiori vitae generi deditus esset. Vitio hoc vix commisso, altero statim die variolacea febre corripitur, symptomata consueta, satis tamen graua reddente. Eruptio satis quidem bene, paullo tamen segnius procedit, et pustulae succedentibus temporibus non solum confluunt, dum ultra modum fere grandescunt, sed et passim virescente, passim vero aquoso pure plena videntur. Quare exsiccationis periodus paullo protractior duodecimo morbi die vix inchoare visa est. Decimo tertio igitur die febris intensius mota, aegrum male quidem non habuit, effecit tamen, vt remediis congruis obuiam iretur. His autem praepediri nequit, quin ingruente media nocte subito maxima praecordiorum angustia et suffocatio periculosa inciderit, ex qua, antequam vlli medicinae locus fuerit, intra paucas, vt dicunt, horae minutas aeger vehementer conuulsus expirat. Luctuosae mortis causa vt patesceret, flagitata et impetrata est sectio defuncti. In hac igitur Pulmones copioso sanguine infarcti se offe-

runt. Resecto infimo ventre Hepar nigrum, siccum, friabile quasi, atque Gangraena corruptum reperitur. Praecipue vero tam in Mesenterio et Mesocolo, quam super Intestina ipsa non solum tenuia, sed et in primis Colon magna copia Variolarum occurrit. Pustulae ipsae sub membrana externa latuerunt eamque eleuarunt, pisum maius dimidiatum bene aequantes vel superantes. Pleraeque pure albo spisso plenae fuerunt, hinc inde autem aliquot nigrae eiusdem magnitudinis intermiscuntur. In reliquis visceribus nihil adeo notabile obuenit, quod nunc prolixè exponi mereatur. Foetor autem inter secandum immanis et intolerabilis fere fuit.

§. XVII.

Quae de Variolarum praesentia super Intestina nunc probauimus, ex summa eorum relatione et conuenientia cum Cute fortassis quis deduceret, qui nobiscum non sentit. Alia vero viscera aequè occupari ab iisdem posse, quin ne Cor quidem ab earum virulentia interdum

dum immune esse, sequens exemplum corroborabit. Anno nempe 1746. quo eadem, quae priori anno iam faeuierat, Epidemia variolosa per hiemem adhuc grassaretur, honoratioris cuiusdam Viri filius, duodecimum circiter annum agens, simul inuaditur. Is quidem a iuuentute aliquando insultibus epilepticis succubuerat, quos a nutrice, ut relatum est, insciis parentibus admota, susceperat. Ab iis quidem ab aliquot annis liber vixit, attamen eam ob rem non animo solum hebetiore, sed et corpore segniori et impuriore fuit. Grauiissime statim decubuit aeger, et pustulae ipsae octauo die fere nondum penitus processerant, et hoc quidem adhuc cum summa inaequalitate factum est; adeo ut in toto fere abdomine nihil adpareret, in pedibus vero distinctae, in facie, brachiis et pectore gregatim et mira quantitate prodirent. Vndecimo tandem die suppuratio sequitur, et pustulae, ubi adeo confertim proruperunt, ita confluunt, ut in continuam fere vesicam, plurimis foueolis interstinctam eleuarentur.

Fauces

Fauces admodum impeditae sunt, vox raucissima fit, et gingivae ita corrumpuntur, ut gangraena tactae fuissent, nisi mature prospectum fuisset. Decimo tertio die aeger, cum libum mellitum aromate plenum, ipsi clam oblatum comedisset, convulsionibus corripitur, quibus sublatis, materiae viridis foetidissimae copiam deiecit. Exsiccatione denique incipiente decimo septimo die, post graues praecordiorum anxietates nocte iterum conuellitur, iterum tamen euadit, atque vigesimo demum die plenaria exsiccatio successit. Satis quidem bene abhinc habere se coepit aeger, pectoris angustia et tussis autem, quae statim a principio morbi sicca fuerat, nunc humida, eum grauius adhuc vexat. Optimis quibusuis mature occurritur, parum tamen promouetur; quare eadem, praesertim cum gulae interamperantior esset aegrotus, continuo incrementum facit, donec languor corporis cum febris lentae signis superueniret. Pectoris angustiam tunc potissimum dolor premens et pungens, nunquam cessans comitatur, atque

atque successu temporis manifestioribus Cordis palpitationibus iungitur. Palpitationes sensim adeo violentae euadunt, ut non solum oculis explorari in corpore emaciato, sed et tandem auribus e longinquo propter sonum, quem ederent, percipi potuerint. Inter haec marcor corporis magis magisque una cum iam descriptis quotidie augetur, neque praestantissima quaelibet aliquid amplius valent, donec viribus exhaustus aeger vitam, quam usque ad aestatem sequentis anni traxerat, cum morte mutat. Ut enormis palpitationis causa in primis innotesceret, sectionem funeris sibi petiit D. PRAESES. In plerisque visceribus totoque corpore nihil aliud, nisi quod corporibus lenta febre peremptis conuenit, deprehensum, quod breuitatis causa silentio praeterimus. Cor autem curatius inspectum, flaccidum et propemodum inane repertum est. Quod autem praecipue notandum venit, resecto ventriculo eius posteriore siue sinistro, intra ipsum orificii auricularis marginem, ex quo valuulae mitrales descendunt, eiusque parietem anteriorem versus pustula, pisum maius

E

dimi-

dimidiatum bene aequans, conspiciendam se praebuit, quae pure spisso albido plena, et variolosae pustulae adeo in omnibus requisitis similis inuenta, vt nihil similis dici potuerit. Hac igitur ratione caussa palpitacionum in apricum posita est.

§. XVIII.

Cum in toto tempore post morbum priorem vsque ad mortem nihil occurrat, quod pustulae excitandae occasionem praebere potuerit, eius origo non nisi ad Variolarum ipsum circuitum, sub quo materiae pars ad Cordis parietem deposita est, referri debet, de qua re aliquot ex recensitis symptomatibus non obscure testari videntur. Eandem autem intra longum adeo tempus exsiccata non fuisse, absque dubio locus clausus et continuus sanguinis in ventriculum accessus effecit. Veremur interim, ne molesti simus, si mortis caussis, in vtroque casu adeo euidentibus, prolixo sermone insistere vellemus, id autem speramus, binis Historiis sufficienter comprobasse: Variolarum sedem Cuti soli non vbique, sed aliis quoque visceribus competere, neque ad earum formationem necessario Cutis structuram et duram Epidermidem requiri.

F I N I S.